

082

080

086

076

091

071

131

031

181

581

Ende

Anfang

71

est ad eum, ut sibi videbatur, vir quidam longus et terribilis cum evaginato et bene limato cultro, et stans ante lectulum suum, dicens: ecce, ad excoriandum te venio. Et haec dicens apprehendit pedem jacentis, et cultrum adhibuit, ut inciperet eum excoriare. Qua visione exterritus pro adjutorio horribiliter clamabat, ad cujus clamorem primus expergefactus frater suus, qui ad latus ejus jacebat, et alter, qui etiam in camera illa jacebat, interrogaverunt, quid haberet? Qui respondit: heu me, non videtis virum hic stantem, qui mihi molestiam inferre conatur? Illi autem nihil videntes dicebant, quod somniorum illusio esset. Ille vero fortius clamabat, invocans adjutores contra molestantem. Ad haec surrexit frater ejus et lumine allato invenit fratrem quasi semimortuum jacentem, lugubrem habentem vultum et collum recurvatum et nos omnes accurrimus et illum miserum castigatum graviter invenimus et afflictum; sed a quo, usque modo ignoro (B). Puto tamen accepisse suis sollicitudinibus diurnis nocturna phantasmata. Solent enim nocturna phantasmata conformia esse diurnis cogitationibus et sollicitudinibus, passi enim anxias tribulationes in passionem, maniam, faciliter incident, vel pressi curis et nimiis sollicitudinibus; ex talibus enim imaginationes tam firmiter solidantur in mente, ut homo non aliter credat rem esse, sicut cuidam viro prudenti aevo nostro in Colonia contigit, qui quocumque se vertit, putabat se factum duo, et hoc tam pertinaciter tenuit, ut nec medicis nec clericis crederet contrarium asserentibus.

Sed et ego ipse novi quendam sacerdotem honestum, cui nullus in ratione erat defectus, et omnia considerabat, et domum suam gubernabat, hac tamen mania laborabat, in quam propter superfluam sollicitudinem incidit, quod omnino credidit et firmissime tenuit, se rapiendum et super bigam ligandum et cum tormentis inauditis in Constantiam ducendum et ibi crudelissime consumendum. Ab hac phantasia nemo ullis rationibus poterat eum averttere. Quando enim in domo sedit, si in vico audivit currum aut bigam, statim putabat adesse suum cruciatum et die noctuque in ista tristi exspectatione stabat, unde noctibus in caligis, calceamentis, et vestibus dormiebat, ne raptore subito intrantes eum nudum super bigam ponerent. Sic etiam aestimo factum fuisse isti homini, de quo loquimur; fuerat in Sarracenorum vinculis, et ibi gravi sollicitudine pressus in maniam incidit et phantastice virum

